

etiam perfectione virtutis, qua ratio Deo pareat, et corpori imperat, et vitiis dominatur.

Tertio, probatur ex omnibus illis locis, quos adduximus cap. 8. et ipsius Calvinii confessione, qui (ut ibi notavimus) fatetur, Augustinum ad sanctificationem et renovationem, justificationis gratiam retulisse.

Cur autem dicat Augustinus, justitiam nostram in hac vita potius, id est, magis constare remissione peccati, quam perfectione virtutis, duplex est ratio; Una, quia peccata in Baptismo perfecte delentur et purgantur, ut nihil omnino remaneat, quod habeat rationem culpæ; virtutes autem infusæ, ita suo quodam modo perfectæ sunt, ut quotidie magis, ac magis perfici debeant.

Altera, quoniam remissio peccati, semel facta, non eget nova infusione virtutum; at virtus semel infusa, eget quotidie nova remissione peccati, non lethalis, quod cum justitia simul esse non potest, sed venialis, Justitia enim, tametsi multa bona, et justa opera faciunt, tamen sæpe etiam labuntur in peccata levia et venialia. Atque hoc est quod in eo loco potissimum S. Augustinus intendit. Nam cum dixisset, justitiam nostram in hac vita potius constare remissione peccati, quam perfectione virtutis: Continuo, ut id probaret, subjunxit hæc verba: « Testis est oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum, Dimitte nobis debita nostra. Nec pro eis est efficax hæc oratio, quorum fides sine operibus mortua est, sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen conditione mortali, et corpore corruptibili, quod aggravat animam, non perfecte ratio vitiis imperat, ideo necessaria est justis talis oratio ». Vides justos esse, qui sic orant, ac per hoc egere indulgentia venialium delictorum, quæ justitiam non tollunt e medio, non autem remissione lethalium, quæ si justis committerent, hoc ipso justis non essent.

Tertium testimonium est S. Bernardi, qui in epistola 190. ad Innocentium sic ait: « justum me dixerim, sed illius justitia. Quænam ipsa? finis legis Christus ad justitiam omnium credenti. Denique qui factus est nobis, inquit, justitia a Deo Patre. » Et serm. 22. in Cantica, exponens illud: « Qui factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio, Sapientia, inquit, in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum: Et infra; Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne

memineris, et justus sum ». Et serm. 23. « Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi ». Et paulo post: « Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei ».

Respondeo: In epist. 190. justitiam Christi S. Bernardus vult esse nostram, quomodo peccatum Adami fuit nostrum, quia videlicet justitiam Christi participamus per regenerationem, sicut peccatum Adami per generationem. Proinde sicut peccatum Adæ in nos traductum, non est illud, quod Adamo inhærebat, sed aliud nobis inhærens, sed ab illo derivatum; sic justitia Christi, nobis donata, non est illa, qua ipse justus est, sed alia, quæ nobis inhæret, sed ab illa sine dubio derivata.

Sed verba ejus audiamus: « Qui factus est, inquit, nobis justitia a Deo Patre, quæ ergo mihi justitia facta est mea non est? Si mea traducta culpa, cur non et mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata, quam innata. Et infra: Ergo docuit justitiam, non dedit? ostendit charitatem, sed non infudit? » Ubi reprehendit Petrum Abailardum, qui dicebat, Christum profuisse hominibus doctrina, atque exemplo, non autem nos redemisse, nec justitiam et charitatem infudisse.

In sermonibus autem in Cantica dicit quidem, Christum nobis esse justitiam, qui nos a peccato justificavit; et indulgentiam Dei nostram esse justitiam; sed nomine indulgentiæ et remissionis, intelligit plenam justificationem: quoniam (ut sæpe diximus) nunquam remittitur culpa, quin simul infundatur justitia. Quod si aliquando per indulgentiam intelligit solam remissionem, adjungit tunc etiam justificationem; ut cum ait in serm. 22. « Tam validus es ad justificandum, quam multus ad ignoscendum. Et infra: Sic tactus a peccatrice justus, justitiam impertit, non perdit, nec sorde peccati, qua illam mundat, se inquinat ». Vides hic aperte distinguere duas partes justificationis, cum Christus justitiam Magdalene impertit, et maculas tergit. Et infra de sancto Petro: « Qui lapsus flevit amare, quatenus culpam dilueret, recuperaret justitiam ». Idem etiam sanctus Bernardus in serm. 3. de verbis Isaia: « Vidi Dominum etc. » luculenter tradit justitiam nobis inhærentem, eamque distinguit a justitia, qua justus est Christus, quod nostra in hac vita sit recta, sed non pura, ob admixtionem venialium delictorum; Christi autem et recta sit et pura.

CAPUT XIV.

Solvitur argumentum petatum ex ratione.

Argumentum postremum ex duplici ratione depromunt. Prima ratio sumitur ab imperfectione justitiæ nostræ: Justitia enim debet exacte respondere legi: nulla autem humana justitia exacte respondet legi, juxta illud Psalm. cxlii. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (1). Et illud sancti Gregorii lib. viii. Moralium cap. 23. « Quantalibet justitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districto requirantur. » Cum igitur humana justitia judicium Dei sustinere, non possit, necesse est, ut confugiamus ad justitiam Christi, quæ nobis imputetur, ut per eam justis haberi ac pronuciari in divino judicio valeamus.

Respondeo: hoc argumentum, si quid probat, probat justitiam actualem non esse perfectam; non autem probat, justitiam habitualem, qua formaliter justus sumus, ut paulo post fusius, ostendemus, non esse ita perfectam, ut absolute, simpliciter, et proprie justis nominemur, et simus. Non enim formaliter justus sumus opere nostro, sed opere Dei, qui simul maculas peccatorum tergit, et habitum fidei, spei et charitatis infundit: *Dei autem perfecta sunt opera*, Deuteron. xxxii. Et: *Exquisita in omnibus voluntates ejus*. Psalm. cx (2). Unde parvuli baptizati, vere justis sunt, quamvis nihil operis fecerint. Adde præterea, nec de justitia actuali argumentum illud recte concludere. Justitia enim actualis, quamvis aliquo modo sit imperfecta, propter admixtionem venialium delictorum, et egeat quotidiana remissione peccati; tamen non propterea desinit esse vera justitia, et suo etiam quodam modo perfecta. Sed de hac re dicemus in libro de justitia actuali.

Alterum argumentum adversariorum sumitur ab injuria, quam ipsi existimant fieri meritis, et justitiæ Christi, si per inhærentem justitiam justificari dicamur. Addunt etiam Tertium ab occasione superbiæ, quam dicunt hominibus præberi, si eis dicatur, propriam ipsos, atque inhærentem habere justitiam.

Respondeo: Neque Christi gloria, neque

(1) Psalm. cxlii, 2. — (2) Deut. xxxii, 4; Psalm. cx, 2.]

nostra humilitas indiget protectione mendacii, nihil detrahimus Christi meritis, cum ab illorum virtute et efficacia confiteamur justitiam nostram omnino pendere. Sed adversarii multum detrahunt de Christi gloria, cum affirmant, eum non potuisse tot suis laboribus et doloribus tam profunda humilitate, tam accurata obedientia, tam ardenti charitate a Patre impetrare, ut peccata nostra vere deleteret, nosque ad veram justitiam reformaret. Et plus multo tribuunt Sathanæ ad nocendum, quam Christo ad curandum: et majores vires peccati volunt fuisse, quam gratiæ.

Nulla quoque datur superbiendi occasio iis, quibus dicitur: « Quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Et: « Qui gloriatur, in Domino gloriatur ». Et: « Gratia salvi facti estis per fidem ». Et: « Hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur ». Hæc autem omnia Catholici dicunt, cum dicunt, homines ex dono Dei habere justitiam, id est, charitatem in corde diffusam per Spiritum sanctum, qui datur est eis ex merito obedientiæ et passionis Christi.

Adversarii vero an non incredibili timore superbiunt, qui se ipsam Christi justitiam apprehendisse jactant, et inde se nulli Sanctorum æquare formidant. Certe Lutherus in serm. de natali B. Virginis, omnes fideles ipsi Deiparæ facit æquales. Nec defuerunt, qui se ipsi etiam Christo æquare contenderent, ut Ruardus testatur in explicatione articuli de justificatione.

CAPUT XV.

Justitiam, qua formaliter justificamur, habitualem esse, non actualem.

Expedita controversia de justitia inhærente, sequitur Altera quæstio brevior, Utrum justitia inhærens, per quam formaliter justus sumus, sit justitia habitualis, an actualis, an utraque. Disputant enim de hac re Catholici Doctores, cum in eo conveniant omnes, ut sit in nobis vera justitia inhærens, non autem Christi justitia imputata.

Nos eorum sententiam magis conformem esse judicamus Scripturis, Concilio Triden-

tino, testimoniis Patrum, et rationi, quæ docet, solam esse habitualem justitiam, per quam formaliter justi nominamur et sumus: justitiam vero actualem, id est, opera vere justa, justificare quidem, ut S. Jacobus loquitur, cum ait cap. 2. ex operibus hominem justificari, sed meritorie, non formaliter.

Quod igitur ad Scripturas attinet, ea testimonia nobis hoc loco sufficere posse videntur, quæ docent, nos per Sacramenta justificari, Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.* Ad Ephes v. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Tit. III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde (1).* At certe Sacramenta non justificant, nisi concurrente per modum instrumenti ad infusionem justitiæ habitualis. Nam si justificare deberent excitando actualem fidem et dilectionem, frustra adhiberetur Baptismus infantibus, et frustra baptizarentur, vel reconciliarentur ii, qui vi morbi alicujus, usum rationis et sensuum amisissent. Quos tamen recte baptizari vel reconciliari docet S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugii cap. ult. Vide, alia testimonia in lib. 4 de gratia et libero arbitrio cap. 4. ubi ex Scripturis et Patribus probavimus, gratiam gratum facientem esse qualitatem.

Quod vero attinet ad Concilium Tridentinum, perspicua res nobis esse videtur. Nam quod agnoscat Concilium habitualement justitiam, patet ex sess. 6. c. 7. ubi dicit, causam formalem justificationis esse justitiam, sive charitatem, quam Deus unicuique propriam infundit, secundum mensuram dispositionum, et quæ in cordibus justificatorum inhæret. Quæ certe non conveniunt proprie, nisi in justitiam habitualement. Illa enim est, quæ requirit dispositiones: illa quæ proprie infunditur ab alio, non a nobis exhibetur; illa quæ vere et permanenter inhæret, cum non sit actus transiens, sed qualitas permanens.

Quod autem idem Concilium neget, per actualem justitiam nos formaliter justificari, intelligi potest ex eodem capite, ubi Concilium docet, unicam esse formalem causam justificationis. Nam si unica est formalis causa justificationis; non igitur justificamur formaliter per habitualement et actualem justitiam, cum istæ duæ sint, non una. Adde quod idem Concilium in eadem sess. 6. can. 3. distinguit gratiam justificationis ab actibus fidei,

(1) Joan. III, 3; Eph. V, 26; Tit. III, 5.

spei et dilectionis. Adde etiam testimonium Catechismi Romani, ejusdem Concilii auctoritate confecti. Sic enim loquitur in tractatu de Baptismo: « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiore reddi ». Et paulo post addit auctor ejusdem libri, per eam qualitatem ad omnia Chritianæ pietatis officia nos habiles reddi. Et rursus paulo infra adjungit, ex eadem piâs, honestasque actiones proficisci. Quem locum citavimus in i. lib. de gratia et libero arbitrio, sed placuit eum repetere, quoniam luculenter explicat Concilii sententiam, et nulla ratione, quæ Concilium de causa formali tradit, ad actualem justitiam detorqueri patitur.

Jam vero quod attinet ad testimonia Patrum, unius Augustini testimonio contenti erimus, quod satis multa loca Patrum, loco notato sint a nobis allata. S. igitur Augustinus plurimis in locis docet, opera justa esse effectus justificationis, ac per hoc non causam formalem ejusdem. Lib. de fide et operibus, cap. xiv. « Sequuntur opera justificatum, non præcedunt justificandum ». Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. « Non vivunt homines bene, nisi prius effecti sint filii Dei ». In Psalm. cx. « justitiam homo non operatur, nisi justificatus ». Lib. de spiritu et littera cap. 26. « Sic intelligendum est, factores legis justificabuntur, ut sciamus, eos non aliter esse factores legis nisi justificentur, ut non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio præcedat ». Et cap. xxx. « Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio ». Denique in Psalm. cxviii, concione 26. explicans illud: « Feci judicium et justitiam; Justitiæ, inquit, nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est: Quis enim fecit in homine justitiam, nisi qui justificat impium? hoc est per gratiam ex impio facit justum. Facit ergo justitiam, id est, opus justitiæ, qui habet in se justitiam,

id est, opus gratiæ. Ubi per opus gratiæ intelligit sine dubio ipsam virtutem infusam. Nam ideo dixerat, per justitiam, quam facit homo, non intelligi virtutem, sed opus ejus, quoniam virtutem in homine non facit homo, sed Deus. Et initio dixerat, justitiam esse virtutem magnam, præcipueque laudabilem.

Circa hæc Augustini testimonia, sunt aliqua breviter observanda; Primum, est impudenter iis abuti nonnumquam hæreticos, ut probent opera non misceri justificationi, et solam fidem in ea locum habere. Falluntur enim hæretici duabus de causis; Primo, quoniam non loquitur Augustinus de operibus, quæ disponunt ad justitiam acquirendam, quales sunt actus fidei, spei, dilectionis, pœnitentiæ et alii similes, sed solum de operibus absolute justis et meritoriis. Quamvis autem opera, absolute justa, ut Augustinus recte dicit, sequantur justificatum, non præcedant justificandum; tamen opera pœnitentiæ disponunt ad gratiam justificationis omnino præcedunt, ut suo loco ex eodem Augustino docuimus. Secundo falluntur, quoniam S. Augustinus loquitur de prima tantum justificatione, qua justificatur impius, non de secunda, qua justus justificatur adhuc, id est, in justitia crescit. Quamvis autem fateamur cum Augustino, in prima justificatione non admisceri opera perfecte juxta, tamen in secunda justificatione docemus cum eodem Augustino, opera juxta maxime admisceri, ut disputatione de actuali justitia suo loco, Deo favente monstrabimus.

Secundo loco observandum est, non posse eludi testimonia, a nobis allata, si quis forte dicat, Augustinum per justificationem intelligere initium justificationis, id est, fidem, ac velle dicere, opera justa non posse fieri sine fide. Nam in Psalm. cx. ubi Augustinus dixit, non posse fieri opera justitiæ, nisi ab homine jam justificato, ibidem objicit sibi, orationem et confessionem publicani, quæ præcessit justificationem, et tamen fiebat ex fide. « Unde ergo, inquit, illa confessio? nondum quidem opus est justitiæ, sed delicti improbatio ». Hic certe videmus Augustinum loqui de operibus justitiæ, quæ prærequirunt perfectam justificationem. Idem etiam Augustinus, cum tam sæpe repetit, fide impetrari justificationem, ut in libro de spiritu, et littera cap. 29. et alibi, aperte distinguit justificationem a fide. Et cum dicit, homines non bene vivere, nisi prius effecti sint filii Dei; nonne apertissime loquitur de per-

fecta justificatione, quæ non solum initium fidei, sed etiam ipsam regenerationem et adoptionem includit?

Tertio notandum est, non posse etiam eludi hæc testimonia, si quis dicat, Augustinum per justificationis gratiam, quæ præcedit operationem justitiæ, non intelligere habitum aliquem permanentem, sed continuam, motionem Dei, vel ipsam rectitudinem voluntatis erga Deum, ut ipse Augustinus definit in lib. xix. de Civ. Dei cap. 27. qui etiam alibi dicit, charitatem esse motum animi. Non possunt, inquam, hoc modo eludi testimonia allata. Nam motio illa Dei nihil ponit in reale et inhærens, nisi actus nostros. Actus autem nostri ex Augustino prærequirunt justificationem, non ipsi formaliter justificant: proinde justificatio non esset aliquid reale in nobis, et inhærens ex sententia S. Augustini, quod nemo Catholicus admittet. Deinde, Augustinus aperte dicit, nos justificari per infusionem justitiæ, quæ est virtus magna, præcipueque laudabilis concione 26. in Psalm. cxviii et eam distinguit ab opere justitiæ. Denique, idem Augustinus in lib. 1. de peccat. meritis et remiss. cap. 9. scribit nos justificari per communicationem gratiæ spiritualis, quam Deus latenter infundit et parvulis. At certe parvuli non habent continuam illam Dei motionem.

Rectitudo autem illa voluntatis et aliarum potentiarum, si præcise sumatur, non est aliquid reale infusum et inhærens, sed ordo quidam et relatio rationis. Fides autem Catholica justificari nos docet per aliquid reale, infusum et inhærens. Justitia igitur, qua formaliter justificamur, est habitus infusus et inhærens, ex quo rectitudo illa potentiarum consequitur. S. autem Augustinus in lib. 19. de Civitate Dei, et cum dicit, charitatem esse motum animi, definit justitiam actualem, vel certe ab effectu declarat, quid sit illud, quo formaliter justi sumus. Atque hæc de sententia Augustini.

Porro rationi consentaneam esse hanc sententiam, quæ docet, nos formaliter justificari per habitum, non per actum, facile probari potest. Primum enim justitia, qua formaliter justificamur, non est solum in adultis, sed etiam in parvulis baptizatis. At in parvulis nulla esse potest justitia actualis.

Secundo, justus non tantum, cum operantur, sed etiam cum cessant ab opere, justus sunt; neque enim dormientes justos deserit justitia.

Tertio, Spiritus sanctus peculiari modo inhabitat justificatos, non adultos tantum, sed etiam parvulos ut S. Augustinus scribit in epist. 57. ad Dardanum, et 103. ad Sixtum: nec disinit unquam inhabitare, donec justi sunt, ut omnes concedunt. At non potest intelligi, quomodo Spiritus sanctus semper inhabitat justos, et non inhabitet peccatores, nisi aliquid, atque id permanens, efficiat in justis, quod non efficit in peccatoribus. Id autem est gratia justificationis.

Quarto, non dicitur homo peccator, quia male operatur, sed quia transeunte opere malo, remanet in illo perversio, et macula per modum habitus. Igitur a contrario sensu non dicitur justus formaliter, qui operatur justitiam, sed qui habet in se justitiam et rectitudinem, per modum habitus permanentem.

Quinto, ipsi etiam Philosophi hoc docent, non posse recte dici justum, qui unum aut aliud opus efficit justum, sed qui per habitum ita dispositus est, ut possit, quando velit, facile, perfecte, et cum delectatione operari justitiam.

CAPUT XVI.

Solvuntur objectiones contra doctrinam capitis superioris.

Adversus ea, quæ diximus objici possunt, Primo, testimonia Scripturarum, quæ docent, homines justificati operibus, ut ad Roman. II. *Factores legis justificabuntur*, Jacobi II. *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo*. I Jean III. *Qui facit justitiam, justus est* (1).

Respondeo, primum Testimonium Tribus modis explicari potest. Nam factores legis justificabuntur, id est, augmentum justitiæ merebuntur, ac per hoc justificabuntur per opera meritorie, non formaliter. Item, factores legis justificabuntur, id est, qui cupiunt vere legis esse factores, dent operam, utificentur. Non enim justitiam legis faciunt, nisi justificati. Ita explicat S. Augustinus lib. de Spiritu et littera cap. 26. Denique, factores legis justificabuntur, id est, in divino judicio justus iudicabuntur, et justitiæ coronam juste consequentur. Sic etiam exponit in eodem loco idem Augustinus. Estque hæc, præter cæteras, maxime litteralis expositio. Siquidem tractat eo loco B. Paulus de præmiis et

(1) Rom. II, 13; Jacob, II, 24; ibid. Joan. III, 7.

pœnis, in quibus non debet esse acceptio personarum: *Gloria, inquit, honor et pax omni operanti bonum; ira et indignatio omni operanti malum. Non enim est acceptio personarum apud Deum, et quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis justus sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Alterum testimonium explicatur ab ipso Tridentino Concilio sess. 6 cap. 10. de secunda justificatione, qua qui justus est, justificatur adhuc, dum per opera justa justitiæ habitualis augmentum promeretur.

Tertium testimonium non docet, quid faciat hominem formaliter justum, sed unde possit cognosci, an aliquis sit justus. Ille enim justus est, qui justitiam facit, sicut ille vivens est, qui movetur; et illa est arbor bona, quæ fructus facit bonos, nec tamen ideo est arbor bona quia facit fructus bonos, nec ideo vivit aliquis, quia movetur sed contra ideo movetur, quia vivit et ideo facit fructus bonos, quia est arbor bona; Sic igitur qui facit justitiam, justus est; sed non ideo justus, quia fecit justitiam, sed ideo justitiam facit, quia justus est.

Secundo, objici potest Triplex ratio, ducta ex natura justitiæ habitualis. Primo, si justitia habitualis esset formalis causa justificationis, formaliter peccato opponeretur. Id autem non ita est; nam justitia habitualis non opponitur peccato contrarie, nec privative, proinde nullo modo: non opponitur contrarie, quoniam habitus justitiæ contrarius est habitui injustitiæ, qui non est peccatum, sed vitium ex malis actibus contractum, quale etiam in justificatis reperiri potest; non opponitur privative, quoniam peccatum non est privatio justitiæ habitualis, sed deviatio, ac recessus a regula rationis, sive a lege Dei. Neque enim sunt idem recessus a regula, et privatio justitiæ habitualis, ut ex eo potest intelligi, quod qui in peccato sunt, iterum peccant, si prævaricentur legem, et tamen justitiam habitualement non amittunt, cum eam non habeant, neque enim amitti potest, quod non habetur.

Secundo, si justitia habitualis, esset formalis causa justificationis, ea justitia faceret nos gratos Deo, et acceptos ad regnum: at non ita est, nam justitia habitualis donum Dei est, et ex prædestinatione datur electis

jam ante ad regnum. Itaque quia sunt grati, et electi in prædestinatione, datur illis hoc donum, tamquam medium ad consequendum finem.

Tertio, si justitia habitualis esset formalis causa justificationis, non posset ullo modo aliquis justificari sine infusione justitiæ habitualis, causam enim formalem, ne a Deo quidem suppleri posse scholæ communiter docent. At non desunt gravissimi Theologi, qui sentiant, posse per Dei potentiam absolutam, tolli peccatum, sine infusione justitiæ: igitur non est omnino certum, nec tamquam dogma Ecclesiasticum defendi debet, causam formalem justificationis esse habitum charitatis infusum.

Ad hæc omnia argumenta Responsio erit in promptu, si breviter explicemus, ac probemus, habitualement justitiam Quatuor habere formales effectus, videlicet, purgare peccatum, efficere justum, conciliare Deo, ordinare ad regnum.

De Primo effectu multa disserimus in 5. lib. de statu peccati, qui erat secundus de peccato originis, in duobus extremis capitibus. Nunc in pauca rem contrahemus. Sciendum igitur est, non esse multum laborandum, quem ad modum tollatur actus peccati; is enim per se transit, dum fit: sed quem ad modum tollatur id, quod manet, transeunte actu, et unde dicitur homo formaliter peccator. Hæc autem sunt aversio a Deo, macula, dignitas pœnæ, et indignitas gratiæ, reatu, sive obligatio ad pœnam, et offensa, atque inimicitia Dei.

Porro aversio, sive declinatio a Deo, et a lege, quæ maxime proprie peccatum est habituale, privative opponitur conversioni ad Deum, et conformitati ad legem: proinde non potest tolli, etiam de potentia Dei absoluta, sine ipsa conversione et conformitate, Hæc autem conversio, et conformitas habitualis esse debet, sicut aversio et declinatio habitualis est. Conversio vero et conformitas habitualis vera, atque perfecta, quæ est, vel esse debet in homine, nihil est aliud, nisi habitus charitatis, qui omnes virtutes eminenter continet, et (ut loquitur Augustinus) plenissima justitia est. Ergo solus habitus charitatis formaliter tollit, quod in homine peccatore maxime proprie habet rationem peccati.

Macula quoque non potest ulla ratione formaliter tolli, nisi per eundem habitum charitatis. Nam quemadmodum ex aversione illa

orta est macula, ita ex conversione contraria tollitur macula. Neque differunt, nisi ratione aversio et macula, ac per hoc eadem est ratio utriusque.

Dignitas, sive meritum pœnæ, et indignitas gratiæ, nascitur ex aversione et macula: proinde ex conversione, et restituto decore tollitur. Nam quemadmodum qui a Deo recessit et distortus ac deformis evasit, dignus est qui odio habeatur, et indignus qui diligatur; sic etiam, si rursus ad Deum accesserit, atque ab eo lumen et decorem acceperit, dignus erit qui diligatur, indignus qui odio habeatur.

Reatus pœnæ et offensa, possent quidem tolli sine infusione justitiæ; nihil enim impedire videtur, quo minus possit velle non ordinare ad pœnam, et condonare offensam, et non habere pro inimico illum, cui donum habitualis justitiæ non concesserit, tamen tolluntur etiam ista per habitualement justitiam: et sine ea ordinarie non tolluntur, nec possunt non tolli; si donum illud præcesserit. Quomodo enim fieri potest, ut velit Deus inimicus esse illi, atque eum in æternum perdere, quem per infusionem charitatis amicum suum, immo et filium fecerit? Habemus igitur primum effectum formalem justitiæ, id est, charitatis habitualis, divinitus infusæ, esse de medio tollere, ac delere peccatum.

De altero effectu res erit adhuc facilior. Nam tametsi possit homo utcumque justus fieri, per humanas virtutes, Dei potissimum adjutorio concurrente, acquisitas; tamen justus ea justitia, quæ hominem perfecte disponat in ordine ad ultimum finem etiam supernaturalem, et ad omnes, leges etiam supernaturales, nullo modo fieri poterit, nisi per charitatem diffusam in corde, per Spiritum sanctum, ea siquidem est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia, ut S. Augustinus recte docet in lib. de natura et gratia cap. 42. neque sufficit actualis dilectio, qualis per auxilium, Dei speciale haberi potest; sed requiritur habitualis. Nam (ut supra diximus) non est justus, qui interdum juxta opera facit, sed qui perfecte, atque intrinsece ita dispositus est, ut possit, quando velit, prompte, facile, cum delectatione operari.

Tertius effectus infusæ charitatis, est reconciliare hominem Deo, id est, gratum, et amicum Deo facere, et hic quidem non est immediatus charitatis effectus, sed consequens ex natura rei absolute. Charitas enim